

AB

153161



1. Henckel f. Elias;
Hon. f. de Phil-
tris, graecofurti.
1690.

2. Spier f. joh. Carl
de Melancholia
hypochondriaca,
Werningerode,



oo
Jahr.

M

E
E

Im

2.

MELANCHOLIA HYPOCHON- DRIACA

Salivatione Mercuriali Citò, Tutò
ac radicitus Extirpata

Quam secundum omnes circumstan-
tias methodumque curandi adhibetur
ulteriori Phisiatricorum disqui-
sitioni exposuit

JOH. CAROLUS Spies.
Medic. Doct.



WERNIGERODÆ,
Typis, MICHAEL ANTON STRUCK.

R. L. C. C. L.

ARICIA HABET VITAM

YPOGHO

AD ALIA

CONVENTUS ET CONCILIO

DISPUTATIONIS

CONFIRMATIONIS

CONFUSIONIS

CONFUSORUM

CONFUSORUM

CONFUSORUM

CONFUSORUM

CONFUSORUM



LECTOR BENEVOLE.

Si animus esset diffusiorem conscribendi tractatum, observationes, quas tempore octodecim annorum, quibus Praxim exercitavi Medicam, annoiavi rariores, amplissimam largiori scripto præberent materiam, & si laudem vel honorem quererem in eo, ut multas de Melancholia implerem paginas, exornare illas possem rarioribus Medicorum hoc de morbo habitis observationibus. Haec autem meae non sunt intentionis, nec aliud quidquam me haec pauca typis mandare adduxit, quam ut Doctoribus darem occasionem ulterius inquirendi, an salivatio Mercurialis multis quoq[ue] aliis morbis chronicis ac rebellibus, qui saepe omnem præstantissimorum alioquin remediorum adhibitio nem planè eludunt, satisfacere valeat? Qvod si fiat, confido, & hoc scriptum, quam vile etiam sit, in proximi ramen utilitatem aliquid esse collaturum.



CASUS,

UXOR Receptoris cuiusdam Regii
34. annos nata corporis gracilio-
ris, sextum jam agens puerperi-
um, paucos post illud dies, ingratas de-
jactura ac damno quodam temporali-
um relationes audiens, tristitia afficie-
batur ineffabili, cui, dum curis dome-
sticis & augendis opibus jam tum ni-
mum erat dedita, multum litabat tem-
poris, ita ut indies evaderet tristior nec
ullis Confessionarii, Mariti, Fratris,
Agnatorum & Amicorum admonitio-
nibus præberet aurem. Cum itaq; ta-
litristitiâ tota fere esset imbuta, insigni
quoq; corripiebatur metu & ab omni-
bus sibi strui infidias putabat. Hinc
solitudinem amabat, lacrymabatur sæ-
pius, cogitationibus profundis inhæ-
rebat assidue, alta insuper copiosissimè
ducebat suspiria & de mole quadam
gravi circa hypochondria querebatur,
fin.

-AD-

singultu quoque interdum vexabatur, in-
terdum ridebat & consortium Perso-
narum Illustrium anxiè desiderans ge-
stibus utebatur ridiculis, manibus lu-
debat, rerum domesticarum curam ha-
bebat nullam, liberos, quos ante a singu-
lari complectebatur charitate, planè
negligebat, verba, quæ interdum pro-
ferebat erant, absurdâ & factâ sæpè hor-
renda. memoria pollebat firma nec
ulla eam capiebat oblivio anteacto-
rum.

In hoc hujus miseræ statu quæsivit
Maritus, quæ siverunt imprimis Cog-
nati consilium auxiliumque. Et primò
quidem aggressi sunt ad Medicos, qui
varia ipsi propinaverunt medicamen-
ta, cum autem isti per aliquot septima-
nas profunderent perderentque vires
incassum, ē Tantali horto fructus col-
ligere volebant cognati petentes à Gar-
nifice opem, cuius carnificinâ miserrimi-
mè torquebatur ægra, sed frustra in
consideratissima cum temeritate tan-
gebatur angebaturque Misera. Hinc Im-
postoris cujusdam infamia flagrantis

perfidiae & inconsultae amentiae com-
mittebant ægram , ast cum & hujus
thrasonicæ pollicitationes planè essent
irritæ atq; frustraneæ , miserunt illam
ad sanctarum Flaminicarum Cœnobi-
um , quoniam verô istæ suis aquæ be-
nedictæ aspersoribus aliisq; rebus ad-
hibitis nihil nisi alapam à mentis haud
compte reportabant , remiserunt ean-
dem domum Mariti , ubi per satis lon-
gum tempus absq; ulla , quantum ego
scio , remediorum adhibitione miser-
rimè catenis alligata vitam spiritumq;
duxit . Tandem , elapsò à prima inva-
sione anno , Frater Melancholicæ ger-
manus , qui majorem certè quam fra-
ternam illius habuit curam , Patruelis
& Fautores coaccedebant ad me , hoc
unum maximopere à me petentes con-
tendentesq; , ut illam curandam susci-
perem . Vix autem ac ne vix quidem
animum inducere potui , ut illorum sa-
tisfacerem desiderio , fateore enim me
abhorre carnifices , impostores simi-
lisq; farninæ homines , nec libenter rem
habere cum illis , qui istorum manibus
fue-

fuérunt tractati , amore tamen Proxi-
mæ tam miserè vitam transigentis &
petitionibus Fautorum ac Amicorum
convictus , postquam Ægrotæ statum
& morbi circumstantias benè conside-
raveram , voluntati illorum me præ-
bui obsequiosum , confidens , Deum
curationi instituendæ , dum in illius
honorem & proximæ emolumentum
curam suscipere proposueram , cle-
mentissimè fore benedicturum.

SECTIO.I

Pathologiam considerans.

A frēctus, de quo in Casu præceden-
te verba sunt facta, est Melancholia
& quidem Hypochondriaca, quæ solet
definiri ab Autoribus , quod sit Deliri-
um sine febre cum tristitia ac metu. De-
scribi meō judicio hunc posset in 1110-
dum , quod sit continua eaq̄ tristis con-
federatio infortunii perpeſſi , damnum
vel jacturam bonorum , honoris , alio-
rumq̄ concernentis , à spiritib⁹ animali-
bus crassis , depressoſ ac concentratis , uti

D.Wedelius loquitur, unum eundemque
 motum servantibus ortum ducens, ita
 ut Menti de his continuò cogitanti
 una vel plures inprimantur ideæ, re-
 eto judicio penitus adversæ, unde deli-
 rium circa unum tale vel plura obje-
 cta simul eveniat, cum interim Anima
 de aliis rebus optimè interdum judica-
 re possit. Talis autem tristitia conti-
 nua semper conjuncta est cum metu,
 quæ duæ animi passiones verè sunt in-
 separabiles, ubi enim tristitia magna
 ibi quoque adest metus & vice versa. Sic
 Nostra, quæ augendis opibus, curis do-
 mesticis & similius omnes curas, co-
 gitationes omnes nimium quantum
 impendebat, cum ex servo de itinere
 redeunte audiret, vinum adustum, cui
 coquendo multos fecerat sumitus, valde
 exigui apud Extraneos esse pretii, hâc
 & adhuc alia ingrata damnique plena re-
 latione insigniter perterrita, magnâ
 post alquot dies fuit correpta tristitia,
 de qua nullis verbis, nullis rebus fuit
 abducenda, putavit enim de se suisque
 nunc esse actum. Hisce cogitationi-
 bus

bus tristitia concatenatis inhærebat
 misera, quô factum, ut Menti eò firmi-
 us impressæ fuerint ideæ sano judicio
 contrariæ , & circa unam vel alteram
 rem delirare inceperit , de aliis inter-
 dum rectè judicans. Duxi in antece-
 dentibus , affectum , quo in præsentí
 casu ægra laborat , esse Melancholiæ
 Hypochondriacam , & quidem ideo,
 quia satis diu ante invasionem de gra-
 vitate abdominis, dolore gravativo la-
 teris sinistri & ructibus nidorosis con-
 questata est , & cum domi meæ , in qua
 tempore curationis subsistebat, inesset,
 semper multa de mole quadam circa
 hypochondria faciebat verba. Es lege
 Ihr daselbst eine Raze / und drückte sie so
 sehr/das sie oft keinen Athem holen könnte.
 Subjectum hujus mali S. Pars affe-
 cta primaria & principalis est Cere-
 brum , in primis verò Glandula Pine-
 alis dicta , quæ sita est inter tertium &
 quartum cerebri ventriculum in ri-
 ma, quam magnam vocant, in itinere
 quod tendit à tertio ad quartum ven-
 triculum , ut respiciat tam nervos i-

anterioribus ventriculis fitos, quam
 eos qui terminantur in quartum, uti
 philosophatur D. Craan in Tractatu
 de Homine p. 551. Hac Glandulâ Pine-
 ali, quæ vera Animæ sedes, utitur Mens
 ad determinandos spiritus & recipi-
 endos illorum motus, ibi enim medi-
 antibus spiritibus animalibus Menti
 tristia ab extra obvenientia repræsen-
 tantur, ut Mens nihil aliud quam tristia
 cogitet, ac proinde intermittat, spiri-
 tus dictos ad debita officia delegare, fit
 potius, ut solum semper de novo tristes
 recipiat motus atq[ue] impressiones, iis-
 demq[ue] continuò inhæreat. Spiritus
 enim animales, qui ministrorum apud
 Animam funguntur officio, si ob cau-
 sam aliquam eximiam tristes facti sunt,
 tristitiam hanc suam motu tardo ad
 Glandulam, Mentis sedem, deportant,
 eandemq[ue] ibi tam fortiter imprimunt,
 ut Anima nil nisi vestigia tristia con-
 templari possit, quæ ita firmiter inhæ-
 rent, ut difficile sit, illa iterum extin-
 gvere, hinc est, quod Mens in una ea-
 demq[ue] re, cuius causâ semel magnum

SIG 5

in

in modum ac intimè tristis fuit reddita, inde sinenter hæreat, donec per remedia debita denuò liberetur. Nam sicut injuriæ enormes ab alio illatæ firmius imprimi solent animis hominum imprimis elatiorum, quām beneficia præstata sic quoq; tristitia insignis, ex honoris vel bonorum jactura concepta in ambitiosis & avaris similibusq; animis abjectis profundiores ac constantiores solet agere radices, ut vix ac ne vix quidem denuò eradicari queat. Subjectum minus principale s. causæ sunt Spiritus animales, & massa sangvinea, quō etiam pertinent primæ viæ.

Esse autem Melancholiæ, de qua hic loci agitur, cognoscitur ex signis in Casu enumeratis. Primarium & Pathogmonicum est tristitia summa & metus, quibus detinebatur ægra. Ita tristibus dedita erat meditationibus, ut raro vel nunquam fere ad interrogata responderet, aut si quid daret responsi, esset absurdum, inconcinnum, atque abruptum. Metu affecta erat haud exiguo & semper sibi insidias strui putabat. No-

ctes

ctes plurimas agebat ex somnes & quando somnus accedebat, erat turbulentus, detestabilibus ægra divexabatur insomniis. Sæpiissime effundebat lachrymas, interdum iterum risu vultum solvebat, præsertim quando de jucundis cum illa erat oratio. Erant autem illi auditu jucunda si quis verba faceret de Personis Illistribus & amatis, quibus cum conversandi cupiditate ardebat incredibili; Honoris quoqu desiderio inflammatu interdum videbatur, se sororem Comitum quorundam esse existimans, ideoqu homines inferioris sortis & conditionis vilipendebat nec ullo eos aspectu dignabatur, indignabatur potius maximè, si quis ipsi hac in re contradicere & sanis rationibus illam convincere studebat. A cibis abstinebat, credens illis aliquid esse in coctum quod necem sit illaturum, multum vero sitiebat, & bibebat ad ebrietatem usque, quô tempore omnes, qui ipsi obloquebantur vel illius voluntatem exsequi renuebant, verberibus aut convitiis tractabat. De anxietate circa præcor-

cordia & mole insigni circa hypochondria
 omnis erat querela , altaq; s̄epe
 numero ducebat suspiria. Singultu
 infuper etiam persæpe convellebatur
 ferociter. Hæc omnia , quæ ita enu-
 meravi , signa atq; symptomata in no-
 stra melancholica , per illud tempus,
 quo domini meæ habitavit, observare li-
 cuit, ideoque eadem secundum ordi-
 nem proferre duxi necessum. Si illo-
 rum ratio esset explicanda facili pos-
 set fieri negotio per causam mox di-
 cendam , superfluum autem esse puto
 h̄ic addere , quod paragrapho sequenti
 continebitur. In medicorum scriptis
 evolvi atque legi possunt , quæ in aliis
 melancholicis rara annotârunt, hæc enim
 hoc transcribere super sedeo , & quæ
 non ipse in hac Nostra vidi, silentio præ-
 terunda esse existimo.

Ad Causam vero hujus morbi in-
 quirendam atque explicandam me
 converto, ut h̄ac cognitâ, curam ipsam,
 quâ in præsenti casu usus sum, brevibus
 exponam. Et si juxta normam, quam
 in explicandis morborum causis tene-

re solent Doctores Medici, incedere debeam, consideranda omnium primō venit *Causa immediata proxima*, quæ hīc loci consistit in Spiritibus animalibus visciditate, acore atque opacitate imbutis ac depresso. Spiritus enim illi, qui in statu naturali sive sano sunt puri, subtile, mobiles ac lucidi, nunc redditi sunt crassi, languidi, opaci ac causa aliquā externā, nempe jactura bonorum tristes facti, & Menti in sua sede, quo omnes spirituum motus diriguntur, unam eandemque ideam tristem representant & firma illius vestigia imprimit, ut inde averti iterum nequeat, quamdiu motus hicce spirituum crassorum ac tristum continuat, sed potius pertinaciter tali ideæ inhærere ac de eadem cogitare cogatur. Mens enim de rebus ita judicat, sicut illi ipsi repräsentantur, non aliter ac judex de causa aliqua ex actis & probatis judicium formare assolet. Quando igitur continua rerum tristum repräsentatione occupatur atque obruitur, nullum alium quam tristem formare potest

con-

conceptum, cui constanter inhærendō
 aliarum functionum regiarum oblita
 Spiritus dictos in motu semel conce-
 pto linquit, novas inde semper impres-
 siones tristes recipiens. Inquinamen-
 tum verò seu vitium, quô spiritus ani-
 males sive succus nervosus sunt imbui-
 ti, oritur ex massâ sanguinea à consti-
 tutione naturali balsamica, dulci, mobi-
 li redacta in constitutionem acido-vis-
 cidam, quæ constitutio nuncupari po-
 test Causa mediata & materialis Non
 autem omnis sanguis viscidus acidoque
 inquiatus efficit statim Melancholiam,
 sed requiritur tam intima viscidus ac aci-
 di & quidem in majori quantitate cum
 sulphure sanguinis miscela, ut partes
 ejus sulphureæ deprimitur & spiritus
 animales sive succus nervosus nec suffici-
 entes nec satis subtile ac puri inde se-
 cerni queant. Qualis enim sanguis, ta-
 les generantur & separantur in cere-
 bri glandulis Spiritus, quales nunc spi-
 rituum motus, tales quoque in Mente
 fiunt operationes. Mens quidem in
 omnibus æquabiliter bona est distribu-
 ta

ta, illius autem operationes non sunt
 eadem. Hoc vero menti non est adscri-
 bendum, sed constitutioni partium s.
 organorum, per quae Menti repræsen-
 tantur objecta, & illi de hisce objectis
 imprimuntur ideæ. Vitiatis itaque spi-
 ritibus, vitiatis eorum meatibus ne-
 cessario sequentur motus in Mente vi-
 tiasi. Sic pueri minori judicio atque
 ingenio ut plurimum sunt prædicti,
 quam adulti, licet unâ eâdemque am-
 bo sint donati mente seu Animâ, qua-
 propter unicè attendendi veniunt Spi-
 ritus illorumque meatus, qui si recte
 sint constituti, si spiritus sint satis sub-
 tiles, fluidi ac sufficietes, si meatus
 sint satis pervii, objectorum externo-
 rum motus vel ideæ distincte impri-
 muntur menti, si vero de hoc statu re-
 mittant, inconcinnè illuc omnia defe-
 runtur. Probat, quæ hactenus scripsi,
 præfens casus. Ægra nostra vitam e-
 git sollicitam & curis plenam, cogitati-
 ones ferè omnes eò direxit in excessu,
 ut opes & honores augerentur, si quæ-
 dam accideret jactura aut dampnum, mœ-
 rori

rori se dedit totam , conditione ac statu suo non satis fuit contenta , majora enim semper anxie quæsivit . His & similibus , quæ sub Causis Remotis & ante cedentibus comprehendendi possunt , factum , ut spiritus animales nimium dissipati ac depresso ad coctionem in primis viis & secretionem humorum debite absolvendam sufficenter influere nequierint . Requiri enim influxum spirituum animalium ad coctionem in primis viis recte ritèque peragendam extra omnem dubitationem positum est , deficientibus igitur & depresso illis chylus non laudabilis elaboratur sed crassus , crudus ac viscidus remanet , qui sic massæ sanguineæ per vias notas ingeritur multorum malorum utor . Cum itaq; in Nostra contigerit quod chylus non satis rarefactus sed crudus acidus ac viscidus sanguini fuerit illatus , sanguis hoc ipso suum contraxit visciditatem accidam insignem , quâ in motu impeditus ac segnis factus est . Quod enim in prima non corrigitur , multò minus in secunda vel tertia emendatur coctio-

B :

ne.

ne. Ex sanguine itaqe crasso, viscido ac
acido similes in cerebri glandulis sunt
secreti ac generati spiritus , qui Menti
quoqe segnitiem & tarditatem in judi-
cando impresserunt & ejusmodi firma
in illa pararunt vestigia, ut Anima , cu-
jus essentia consistit in cogitando, nihil
aliud cogitare potuerit, quam quod ipsi
indesinenti repraesentatione tam firmi-
ter suit impressum. Quod si nunc ob-
jectum aliquod spiritibus crassioribus,
langvidis, torpidis terrorem s. motum
tristem inferat , hi dicti spiritus adhuc
magis deprimuntur & tenebricosi eva-
dunt, motusqe illorum multò redditur
tardior , nihilo tamen minus tristem
hancce sensationem Menti communi-
cant & motu tali continuato illam eâ-
dem fortius afficiunt , ut ita successivè,
dum nihil nisi tristia percipit, etiam ni-
hil nisi tristia cogitare valeat. Et in hoc
formalis Melancholiæ ratio consistit,
quam in Nostra videre atqe notare li-
cuit. Impossibile namqe est , hominem
ullum sine prævia tali dispositione cor-
poris, massæ sanguineæ ac spiritum s.
fucci

succi nervosi simul & semel incidere
 posse in Melancholiam continuam,
 quali nostra fuit affecta Ægra, ex quo
 patet illam sanguinis mixturam acido-
 viscidam & inde generatos spiritus cras-
 sos, torpidos, opacos esse veram Causam
 Melancholiae. Non quidem nego, aci-
 ditatem illam sanguinis viscidam saepi-
 us nominatam tractu temporis reddi
 majorem, verum ideo haec sanguinis
 constitutio non est productum ipsius
 Melancholiae, sed semper anet causa,
 & quo major evadit dicta massæ san-
 gvineæ visciditas acida, eò major &
 constantior ac magis rebellis efficitur
 Melancholia. Ista autem, de qua su-
 pra locutus sum, continua eaq; tristis
 cogitatio vel consideratio rei alicujus
 ingratæ, quædamnum, jacturam, op-
 probrium & similia intulit & spiritibus
 tristem sensum ac motum impressit,
 imò perversa Mentis de objecto aliquo
 imaginatio atq; judicium, est produ-
 ctum & effectus à spiritibus vel succo
 nervoso torpidis, crassis, tenebricosis
 ex sanguine viscido, acido, ac minus

mobilis elaboratis, qui Mentirem per-
versè ac motu ingratò communicant,
ortum ducent. Mens enim s. Anima,
de rebus ita judicat, (repeteret hanc the-
sin non vereor) sicut ipsi à spiritibus
animalibus offeruntur, aut, mens ideas
objectorum ita recipit, sicut per spiri-
tuum motum ad illam deferuntur, per
motum enim omnia fieri, quæ Animæ
repræsentantur, probatione haud in-
diget. Quod si igitur spiritus isti ob
constitutionem sanguinis acidiorum
ac viscidiorem jam tum segnes, tene-
bricosi & in motu tardi existant, eò fa-
cilius à causa quadam externa tristitia-
m s. tristem sensationem & motum
recipiunt, & hoc suô tardo tristis mo-
tu similes tristitiae impressiones menti
suppeditant & ubique firma tristitiae in
illius sede parant vestigia, hinc illi ni-
hil fere aliud quam tristis cogitatio su-
permanet. ita ut officii sui regii imme-
mor spiritus suos ministros ad munia
obeunda non recte demandet, sed illos
quasi negligat, unde spiritus illi sibi re-
licti in uno eodemque motu semel ince-

pto

pto perseverantes unam eandemq; rem
 constanter repræsentant, ut hōc modō
 idea Menti semel firmiter impressa,
 licet sit perversa & fano judicio contra-
 ria, continuō permaneat eadem, quod
 ita in hac Nostra per totum morbi cur-
 sam omnino fuit observatum. Hæc
 sufficient de causa & modo fiendi. Hip-
 pocrates 6. Epidem. Causam melan-
 choliæ esse seu Melancholiam fieri scri-
 bit, quandò atrabilarius humor men-
 tem obsideat, h. e. illam cerebri Partem,
 quæ principum facultatum S. Mentis
 est habitaculum occupet atq; obnubi-
 let. Diemerbröek in Disp. Pract. p. 5.
 Causam reponit in Phantasma melan-
 cholicum, quod spirituum animalium
 specificam seu occultam intemperiem
 induxit. D. Wedelius Causam Me-
 lancholiæ esse depressionem ac con-
 centrationem spirituum asserit in Ex-
 ercit. Path. Ther. Rolfincius obtene-
 brationem spirituum animalium Me-
 lancholiam efficere judicat. Cartesius
 accusat spiritus animales ab intemperie
 sanguinis crassa, viscida & fœculenta

tenebricosos accrassiores factos, qui si non moveantur ordine, varia oriuntur deliria. Plures Autorum sententias hue transcribere erit inconsultum. Sua interim cuilibet hac de re maneat sententia, qui alium sibi de melancholia ejusq; causa formavit conceptum.

Restat, nt paucis addam, quid de melancholiæ exitu judicandum & quodnam de eodem fistentum sit Prognosticum ? Pertinere melancholiæ ad morbos chronicos graviores ac curatu difficiliores docet præsens casus, dum ultra annum duravit. Patentur illud ipsum omnes, qui de melancholia scripferunt medici. Quò altiores firmioresque egit radices, eò difficilius & non nisi magnis denuò eradicatur remediis, hinc quoque flagellum & opprobrium dici solet medicorum, quia plurima sat generosa sæpe eludit medicamenta. Si quoque consideretur depravata ventriculi aliorumque viscerum constitutio, si perpendatur vitiosatotius massæ sanguineæ mixtura, fa-

ten-

tendum est ad illa omnia restituenda
 longum requiri temporis spatium. E-
 pilepsiam in super ut & Apoplexiā &
 Paralysin supervenire interdum Mel-
 ancholicis Autores notarunt, saepius
 verò mutari & transire in Maniam ex
 Observationibus Medicorum & pro-
 pria experientia edoctus sum, & credo,
 hoc quoq; cum tempore contigisse in
 Nostra, incipiebat enim unum vel al-
 terum verberibus tractare, præ ira
 mordere labra, imò furere & insanire
 in nonnullos, oculiq; illius saepe exar-
 descebant iracundiā. Spem tamen
 posui in Deo, cuius benedictione ma-
 gnos saepe curare licuit morbos, & suc-
 cessum expectavi multum ex remedio
 ad quævis acida ac viscida in sanguine
 destruenda & liberandos ab illa labe
 spiritus efficacissimo, ut sic novi ac fa-
 niores denuò in Mente queant
 formari conce-
 ptus.

B 4

SE-

SECTIO II.

Curam Sistens

Melancholiā inveteratam medicamentis levioribus imò sāpe generofis & longo usū probatis diffici llimē cedere , fatebuntur omnes , qui his in casib⁹ praxin habuerunt. Inchoantem qvidem facilius exſtirpari posse sum expertus , consummatam verò multum mihi olim in duobus, qvorum recordor , ſubiectis paraffe laboris non eo inficias. Plurimos itaque hāc occaſione, cum Melancholica mihi obtruderetur curanda, celeberrimorum Medicorum, qui ſatis docte fatisque fux de Melancholia ſcripferunt, confului, evolvi atqve revolvi libros, methodum medendi in illis propositam præscriptamq; accuratissimē perpendens. Cūm autem antehac mihi contigerit, qvod illorum vestigia premens ad nauſeam uſq; tractārim Melancholicos, aliam viam certioremque meō
judi-

judicio excogitare institui methodum
 curandæ Melancholiæ per *Salivationem*
 scilicet *Mercurialem*, cuius, quantum
 ego quidem scio, nemo unquam in
 hoc morbo fecit mentionem, nisi quod
 Willius Anglorum medicus incom-
 parabilis se à salivatione mercuriali in-
 sanos quosdam perfecte curatos vidisse
 scripserit, uti hoc D. Dolæus in En-
 cyclop' Med, Th. Pr. p. 66. brevibus
 refert. Dum enim firmiter sum per-
 fvasus, Melancholiæ causam essentia-
 lem seu materialem, ut supra dixi, con-
 sistere in sangvine crasso, viscido ac a-
 cido & inde generatis spiritibus simili-
 labe inquinatis, hinc admirandum
 Mercurii vivi effectum quem in pluri-
 mis solet edere affectibus, probè consi-
 derans, nullus dubitavi, quin in Nostra,
 quoad vires adhuc satis validæ dictam
 instituerem salivationem mercuria-
 lem. Nemini enim est ignotum, in
 Lue Venerea, ubi sangvis certè non
 leviter viscidis, acidis ac acribus scatet
 salibus, à salivatione mercuriali certam
 exspectari posse opem atq; curationem

perfectam, quæ ab aliis non ita facile
 impetratur remediis, quidni etiam ista
 cura mercurialis haberet locum in me-
 lancholia inveterata, à principio acido
 ac viscido generata, quæ haud mino-
 rem nec leviorem poscit remediorum
 applicatione*iii*, quam Lues illa Neapo-
 litana? **Quisnam** est, qui abnegabit,
 mercurialia, si modò cum prudentia
 sint præparata & prudenter adhibeantur,
 in abstrusissimis infantum morbis,
 aliisque adulorum ægritudinibus sæpe
 desperatis insignem afferre opem?
Cum quoque nulla animo meo inesset
 controversia, sed constaret potius si
 non inter omnes attamen inter pluri-
 mos Doctores summos ac pro explora-
 to haberetur, salivationem mercuria-
 lem esse tutam atque certam (cæteris pa-
 ribus) multorum gravissimorum
 morborum, in primis morbi gallici,
 Lepræ colicæ similiusque medicinam,
 speravi imo pro certo habui, quod &
 in hac mea melancholica ex sæpius no-
 minata salivatione mercuriali effectus
 sit infecuturus desideratus salutaris.

An-

Antequam autem methodum, quâ usus
sum, excitandæ salivationis proponam,
recensere omnino necessum est, quæ-
nam illi præmiserim. Volunt quidem
nonnulli, ut statim, absq; ulla medica-
mentorum adhibitione, illa in usum
vocentur, quæ salivationem excitare
debeant, verùm hic modus mihi nullā-
tenus arrisit, sed feci initium curatio-
nis medicamentis nunc dicendis. Die
26. Novembr' A. p. exhibebam di-
gestivum, liquorem aliquem salinum
alkalicum, alterò mane propinabam
Vomitorium sequens.

R. tartar. emet gr. VI.

crystall. tartar. gr. XII.]M.

Hoc quinque excitabat vomitus &
bis alvum aperiebat. Tantam tarta-
ri emetici dosin in melancholicis esse
necessariam, haud semel observavi, no-
tarunt hoc ipsum quoq; Practici, alias, si
dosis exhibeatur insufficiens, nullum
inde potest sperari levamen, verùm
potius majus gravamen, majorq; anxi-
etas

etas circa præcordia relinquitur, sicuti
 hoc in Nostra Ægra ante annum in
 morbi principio contigit, quô tempore
 à medico quodam illi exhibitum fuit
 electuarii ad vomitum excitandum,
 quod autem, cum intentioni propter
 dosin emetici insufficientem minimè
 satisfecisset, anxietates præcordiorum
 magnum in modum auxit, omniaq; in
 pejus sunt redacta. Existimo quoque,
 quod Electuarium ipsum impediverit,
 quò minus successerit vomitus, & qui-
 dem duplē ob causam, primò enim do-
 cet experientia, Electuaria, Bolos, Pilu-
 las non facile revomi, atque ideo me-
 dicamenta contra vomitum symptoma-
 ticum in forma boli, electuarii & pilula-
 rum solent exhiberi, secundò constat, in
 Electuariis particulas tartari emetici
 sulphureas nimium dissociari atque
 involvi, ut postea non satis explicari
 iterum queant, saccharata quoq; vi-
 sciditate suā adhærent tunicis ventricu-
 li & irritationem fibrarum ad excitan-
 dum vomitum necessariam int̄minuunt.
 Ex hoc discitur, quod dosis & formame-

di-

dicamentorum in hoc similibusque af-
 fectibus sit probè attendenda, ne ægro,
 dum prodesse volumus, noceamus. Hoc
 mihi exquisitum est tam satis quam nun-
 quam illud invenies secus, quod insuffi-
 ciente dosim medicamentorum emedico-
 rum & purgantium tam in melancholia
 quam aliis in morbis humores noxii ad
 ægrotidetimentum solùm moveantur,
 nunquam verò promoveantur. Ex illo
 itaque supra præscripto Emetico quin-
 quies, ut dixi, vomuit, bisque exonera-
 vit alvum, cum sensibili, ipsà fatente, le-
 vamine. Hoc peractò Tincturam mar-
 tis cum sale volatili oleoso semel in die
 horis matutinis sumendam propinavi
 cum decocto herbæ anagallidis & flo-
 rum hyperici, & assūm sit singulo manē
 guttas octuaginta ascendendo ad gut-
 tas centum & viginti; sub noctem verò
 pulverem ex antimonio martiali cache-
 tiō, sacch. saturni & arcano duplicato
 Myns. Maximam enim martalibus ad
 destruendum acidum inesse efficaciam
 non semel expertus sum & procul dubi-
 o plurimi magnorum nominum Medi-
 ci-

dici hanc meam approbabunt assertio-
nem , hinc extra omnem dubitationis
aleam possum esse existimō , Melan-
choliam non nimis inveteratam solis
posse tolli martialibus . Malum quo-
que hypochondriacum , quod Melancho-
liæ principium jure meritòque appel-
lari potest , nullis melius cedit remediis ,
quam illis quæ ex ferro sunt præparata ,
inter quæ mihi familiari sunt in usu Tinctura
martis cydoniata , aperitiva Ludov: antimoniate f. metallica ex regulo
martis , venere ac jove parata . Tinctura
vitrioli martis antiscorbutica , Flores
falis ammon. martiales , antimonium
martiale cacheoticum Ludovici in
Pharm. p. m. 176. descriptum icteri spe-
ciebus , malo hypochondriaco & cache-
xiis aliis satis laudare non valeo . Hisce
continuari curavi ad diem usque quar-
tum decembbris , die ejusdem quintō , cum
alvo laboraret pertinaciter obstruētā ,
pilulas pulpæ pomi borstorffiani assati
involutas præbui devorandas & qui-
dem erat formula sequens .

R.

(O)

R. Extr. panchymag. Croll. gr. XV.

colocynth. gr. IV.

resin scammon. gr. VIII.

tartar. vitriolat. gr. X.

M F. cum tintura tartari l. a. pipulæ croco martis conspergendæ. Hinc tribus tatummodò dejecit vicibus, licet saepius brodium prunorum crystal lis tartari acuatuum superbiberet. Ex qvo licet conjicere, quanta hic fuerit in primis viis humorum acciditas viscida qua vis pipularum cathartica sit refracta, humorum enim aciditatem visidam omnium alvi obstruktionum esse autorem probatur à posteriori, quatenus sal tartari in aqua resolutum & ad drachmam exhibitum brevi obstrukiones dictas referat, probari etiam posset ul terius aliis rationibus, nisi nimium à scopo atque proposito aberrarem. Descendo potius ad ipsam, Mercurii applicationem, h̄ic loci in usum vocatam, quā salivationem desideratam quō citius tūiusque eō melius excitare possem. De modo, quō operetur Mer-

cu-

R.

curius in corpore , humores scil. viscidos resolvendo , & in modum agendo , acidos edulcorando, obstrunctiones vasorum viscerumque aperiendo & ptyalismum excitando diffusius agere supervacaneum esse duco , omnibus enim , qui illum modò semel in usum vocatum viderunt, notum esse debet , mercenarium cunctòs illos edere in humano corpore effectus , & quidem quatenus constat ex minimis globulis infinitæ subtilitatis ac mobilitatis , qvi , dum quaslibet permeant corporis humani partes , instar magnetis absorbent & recipiunt sales acres corrosivos in sanguine & sero hærentes ac in glandulis aliisque partibus delitescentes . Hinc obstrunctiones vasorum ab illis ortas aperiunt , & partes à viscide molesta liberant . Quisnam autem nunc sit tutissimus excitandi salivationem modus , videamus . D. Dolæus magni nominis Medicus in Encyclop. med. Th. Pr. varios Salivationis instituendæ recenset modos ; Describit enim pulverem ex turpethi min-

ner-

scido,
 va-
 ya-
 su-
 bus
 um
 pet,
 hu-
 em
 ulis
 qvi,
 hu-
 for-
 osi-
 c in
 en-
 illis
 late
 rem
 va-
 læ-
 cy-
 onis
 cri-
 mi-
 ner-
 neralis granis tribus vel quinque &
 mercurii dulcis granis sex compositum
 & per aliquot dies , usque dum Saliva-
 tio subsequatur , repetendum , tutius
 tamen excitari salivationem adducit
 exhibitis granis decem mercurii dulcis
 ascendendo ad grana viginti, usq; dum
 effectus subsequatur. Mentionem
 quoq; facit sufficūs ore excipiendi ē
 cinnabari antimonii vulgaris&myrrha
 rubra anaticē mistis instituti , mole-
 stum verò hunc esse modum & pluri-
 bus gravioribus symptomatis stipatum
 existimo. Tandem quoq; Inunctio-
 nem attingit , ungventō mercuria-
 omnes articulos linteō prius fricatos,
 cuī plantis pedum esse inungendos
 afferens. Hunc ultimum modum , si
 administretur caute ac providē , tan-
 quam tutum optimumq; cæteris præ-
 fero, propria experientiā nec non rati-
 onibus & autoritate plurimorum præ-
 stantium Medicorum ac Chirurgorum,
 qui hanc inungendi methodum s̄epis-
 simē in'usum vocarunt, permotus atq;
 convictus, Varias autem in illorum

C

script.

scriptis reperimus ungventorum mercurialium compositiones. Thom. Sydenham in Prax. Med. Experim. p. 426. describit ungventum simplicissimum sequens:

R. Axungiae porcina unc. II.

Mercurii crudi Unc. I. M. ut mercurius

Subigatur totaliter & scribit, se neque oleum aliquod \hat{e} calidioribus neque aliud quid admiscere, cum deterius fiat ungventum, putat etiam nullis evacuationibus, v.g. Venæ Sectione & Purgatione infirmatos salivationis impetum multò melius sustinere, quam eos, quorum quasi ante prælium incisi sunt nervi. Huic sententiæ in totum subscribit D. L. Jungken in Compend. Chirur. p. 510. Alii diffusorem docent ungventi compositionem, sic Purmannus Chirurgus omni laude dignus im Lorbeer-Kranz p. 752. habet ungventum, sequens

R. Axung. porcin. unc. VI.

terc-

Ceræ unc. III.

terebinth. unc. III.

mercurii puriss. unc. IIII.

Ol. ligni rhod. drachm. I.

M. F. Unguentum.

& in tractatu von der Salivation - Eur
Cap. 3. præscribit formulam hōc mo-
dō

R. Mercur. vivi puriss. cum s. q. terebinth.

Cypr. probè subact. unc. III.

Unguent. rosat. Mes.

Nervin. Vig. a. unc. III.

Ol. ligni rhod. scrup. sem.


M. ad forman linimenti.

Mentionem quoque facit ibidem tri-
um aliarum compositionum, quæ l.
e. evolvi atque legi possunt. Ego sim-
plicissimam elegi viam & in nostra Me-
lancholica unguentum composui tale.

*R. Mercurii viviper pannum & corium
purificati unc. VI.*

terebinth. Cypr. unc. IV.

M. optime donec mercurius omnino di-




Sparuerit tunc add. Axung. porcin.

Unc. IV. F. Unguentum.

Quô die septimo & octavo decembris primâ vice jûncturas manuum ac pedum, die nono & decimo cubitum ac genua inungi curavi, die undecimo præter dictos articulos etiam volis manuum ac plantis pedum affricari unguentum jussi. Cum autem nulla instantis salivationis signa prodirent obviam, die 13. exhibui sudoriferum ex Tinctura mihi familiari Bezoardica volatili, ut illo humores viscidiiores eò melius in motum ducerentur. Ast enim verò nullus inde sentiebatur effetus, quare die 14. propinavi scrupulum mercurii dulcis, verum nec ille incitabat salivationem, duro itaque nodo duriorem imponi debere cuneum putavi, & inunctionem haetenus intermissam denuò esse instituendam judicavi, quâ die 15. iterum peractâ salivationis prodromi veniebant in conspectum, querebatur nempè de capitis ac gin-

gingivarum dolore, fœtor oris percipi-
ebatur & saliva tenax adhærebat gin-
givis, die 16. omnia, excepto oris fœto-
re, evanuerunt, ut utile duxerim, scrupu-
lum mercurii dulcis exhibere, quô
quidem salivatio parùm fuscitabatur,
alterô autem die sc. 17. Decembr. nihil
quicquam amplius de illa sentiebatur,
ut nolens volens tertiam vicè scrupulum
mercurii duclis dederim, quô tandem
impetravi, ut salivatio ex voto non
quidem copiosa & abundans sed tamen
sufficiens & constans successerit, quæ
duravit usque ad tertium Januarii h. a.
diem, quô tempore sensim remittebat
salivatio, & omnia evanescebant, quæ
antehac fuerant molesta, judicio uteba-
tur multò constantiori, orare cum aliis
& præ se sola incipiebat, quod antea
planè renuerat, imo in omnibus, circa
quæ olim erraverat deliraveratque,
sentiendi ac iudicandi rectius integra
illi erat potestas. Durante verò sali-
vatione sèpius postulabat necessitas,
ut ad alia haberem respectum. Sic
pertinax prioribus diebus alvi obstru-

Etio multum mihi facessebat negotii,
catharticum exhibere duxi inconsul-
tum, nefalivationem magno cum labo-
re suscitatam in motu impedirem, cly-
steris usum ut admitteret, nullis verbis
nullisque precibus erat inducenda,
prunis itaque, pomis borstorffianis
cum passulis & similibus coctis alvum
aperire tentabam, sed frustra fiebant o-
mnia, infusum ex drachma foliorum
sennæ electæ & sale tartari cum unciosis
quatuor aquæ fluviatilis factum exhi-
bebatur incassum, quod alias in perti-
nacissimis alvi obstructionibus opta-
tum semper dedit effectum, hinc potui
ordinario infundebam nitrum antimo-
niatum, de quo singulo die capiebat
drachmam, hoc ter exhibito, alvus su-
um faciebat officium, nec quicquam
porro creabat molestiæ. Divexeba-
tur etiam tempore salivationis vigiliis
cum summa virium debilitate, quibus
succurrere consultum putavi exhiben-
do pulverem sequentem.



R. Per larum orient subtiliss. pulv. gr. XXIV.

sacchari saturnigr. X.

extractianod. mihi usitati gr. I.

M. F. pulvis sub noctem capiendus, quem cum fructu aliquot exhibui vicibus, benè enim hinc dormire incipiebat, nec ullum patiebatur salivatio detrimentum, sed liberè peragebatur. Ex quo didici, Opiata tempore salivationis non esse nociva nec fluxu in salivæ impedire, licet alias omnes, excepto sudore, soleant componere humorum fluxiones. Nullus etiam neglexi durante salivatione alia quoque ad spiritus animales excitandos & visciditatem massæ sanguineæ incidentam propinare medicamenta, quamvis nonnulli tam Medicorum quam Chirurgorum tempore salivationis rarius remedia morbo convenientia in usum vocare, sed omnia soli salivationi relinquere soleant. Indies enim exhibui vel Es-sentiam Anagallidis compositam B. D.

Michaëlis Lipsiensis, quæ paratur ex
 herba anagallidis, floribus hyperici &
 sangvine asini, de qua notandum, spiritum
 ex herba anagallidis & floribus hy-
 perici destillatum nihil quicquam ex a-
 fini sangvine extrahere, sed aliam ad hoc
 opus requiri enchires in; vel propinavi
 Tincturam mineræ lunaris cœruleam
 cum spiritu salis ammonici circulato
 confectam, interdum quoque Effenti-
 am cardiacam D. Bontekœ in Fundam.
 Med. descriptam in usum vocavi, qui-
 bus inter salivandum usurpatis insig-
 gnem vidi effectum, ita ut salivatione
 ad finem perductâ omnia simul evanu-
 erint, quæ antea nostram absurdafaci-
 entem & loquentem ad iudicium re-
 ctum formandum reddiderant ineptam.
 Verbô, quæ olim tristis ac cogita buna-
 da fuit, hilare in nunc exhibebat vul-
 tum; quæ solitudinem amavit, optabat
 & expetebat conversationem cum ami-
 cis; quæ lachrymas reddidit copiosas
 altaque duxit suspiria, lætâ fronte ac
 voce laudabat Deum; quæ res dome-
Nicas, maritum, liberosq; ultra annum

ne-

neglexit, illis præesse efflagitabat; quæ olim de certis rebus atque personis constantem licet falsam ac vanam conceperat ideam, nunc rectum de omnibus illis formabat judicium; quæ etiam de magna sub hypochondriis jacente mole querelam habuit gravem, se planè ab eadem esse liberatam pronunciabat; Sola & cum aliis lubentissimè faciebat precationes ad Deum, gratias pro præstito auxilio persolvens & ulteriorem Dei opem precibus exposcens, quæ antea, ut oraret, nullo modo potuit adduci. Et ut paucis me expectiam, Nostra à gravissima Melancholia penitus liberata vitam agit modestam, menteque sanâ, Deo sit laus in æternum, fruitur in corpore sano. Cum fructu quoque & durante & absolutâ salivatione ad excitandos spiritus & novum quasi ætherem sanguini inducendum adhiberi potuissent, quæ D. Bonetus Thes. Med. Pract. L. 2. de Morb. Cap. p. 679. profert, & in primis Mixtura sequens ex Agricolæ Comm. in Popp. Tr. de Arg. p. 113. excer-

pta in considerationem meō iudicio
venit, per 14. dies exhibenda,

*R. Tincturæ lunæ gr. VIII. Corallior. gr. VI.
Essentia perlarum gr. V. Spir. C C. gt. III.
Ambræ, Moschia. gr. III. M.*

Est quidem pretiosa & non nisi diti-
oribus præscribi potest, credo tamen,
intentioni supra dictæ eandem optimè
posse satisfacere. Tinctura etiam
croci, cuius ibidem fit mentio, tristitia-
m & melancholiā mirè expellit juxta
Joh. Th. de Bry Introd. in vital.
Philos. Tr. 2. p. 5.

Supereft nunc, ut & brevissimis ex-
ponam, quanam durante falivatione ufa
fit diæta. In principio curationis à
me suscepτæ parum vel nihil edebat,
sicuti per totum morbi cursum soluit,
incipiente verò falivatione jufcula illi
præbui ex avena, brodio carnis bovi-
næ, vitulinæ, gallinarum, nec non pru-
na & pomæ borstorffiana cum paſſulis
& aniso cocta. Potus ordinarius erat
decoctum ligni ſassafras cum paſſulis
floribus hyperici aliisq; factum. Ce-
revifia enim & vinum tum temporis
mi-

minimè conveniunt. Cum autem sub
 finem salivationis appetitus , antehac
 diminutus vel planè prostratus , auge-
 retur carnem vitulinam,gallinas,pisces
 faxatiles & similia coctu facilia porrigi
 curavi, tandem finitâ in totum salivati-
 one,cum illi concederem , ut ex suo in
 meum intraret hypocauustum , mense
 meæ considebat mecum prandiens cœ-
 nansq;. Interea temporis autem, quô
 salivam expueret , continuò hypocau-
 sto nocte dieq; calido leptoq; infidere
 cogebatur , ne frigus externum , quod
 illis diebus sat validum percipiebatur,
 impediret salivationem. Finitâ demum
 salivatione quotidie assumxit manè & à
 meridie modo Tincturam martis , mo-
 dò Tincturam mineræ lunaris , modo
 Sal volatile oleosum , modo essentiam
 cardiacam , superbibendo aquam cali-
 dam,cui herba thee erat infusa,& hoc o-
 pus continuavit usq; ad diem Januarii
 hujus anni decimum quartum , quo do-
 dum revertebatur Mariti, mente ac cor-
 pore fruens sanis. Restat deniq; ut tribus
 dicam verbis , quod symptomata,quæ in
 lue

lue venerea circa palatum aliasq; par-
tes oris solent obvenire, nul lius ferè in
Nostra fuerint momenti, levis quidem
observata fuit palati inflammatio, quæ
autem decocto ex ligno sassafras, radice
chinæ floribus sambuci confecto, cujus
nniciis octo succi limonum unciam di-
midiam, Spiritūs florū sambuci un-
ciam & spiritūs cochleariæ drachmas
sex nec non sirupi papaveris erratici
uncias duas addidi, brevi fuerit sublata.
Notandum tamen est, ad hæc & similia
symptomata in omni salivatione præci-
puum habendum esse respectum, quia
multum sæpè creant molestiæ & peri-
culi. Silentio etiam præterire nequeo
quod, antequam ē domo mea discede-
ret, bis vel ter in lecto eam sudare fece-
rim exhibitō pulvere sequenti

R. Reguli antimoniī medicinalis gr. XX.

Antimonii diaphoredici gr. XII.

Salis volatilis C. C. gr. V.

Cinnabaris nativa Hung. gr. VI.

Extracti anod. gr. β.

*M. F. l. a. pulvis manē cum aqua flo-
ruiii sambuci capiendus. Laconicum
enim*

enim deficiebat, alias in illo sudorem evocasse. Venæ Sectionem quoq; ultimis diebus administravi parcam, non quidem, ut istam ad curationem recte absolvendam duxerim necessariam, sed ideo, ut viderem, quomodo massa sanguinea nunc esset constituta. Dixerant enim Cognati, illo tempore, quô Nostra à Medicis & Medicastris fuerit tractata, sanguinem ita densum, crassum & viscidum è venis pertusis prodiisse, ut ne fluere quidem potuerit, nec minima seri gutta illi supernatarit. Nunc autem conspiciebatur sat fluidus, magno cum motu ex aperta vena profiliebat, color erat optimus & sero quasi abundabat. Tandem ultimo ante discessum die adhuc semel pilulas sequentes præbui deglutendas.

*R. resina scammoniigr. V.
extracti trochisci alhand. gr. II,
mercurii dulcis gr. VII.*

M. F. cum elixir. propriet. s. a. pilulæ
N. VII, pulvere irid. Florent, consper-
genda;

genda, unde quinques exoneravit al-
vum, quô innotescebat, humores nunc
longè aliter esse constitutos, quam ante
salivationem, cum ex Cathartico tum
temporis exhibito multò fortiori tri-
bus tantummodo dejecerit vicibus.

In Ephemerid. Med. Phys. A. N.
C Dec. II. A. 4. Obs. X. p. 30. sq.
scribit D. Crüger, quod Insania s.
Melancholia per Venæ sectionem trici-
es repetitam fuerit curata in Capitaneo
quodam ex Gallia reduce, inquiens, se
tentasse, vincere patiente, alternis diebus
sangvinis detractionem, mox in dex-
rro mox in sinistro pede, tandem ex ve-
na frontis, & hunc ordinem repetuisse
usqne dum tricies sangvis missus esset.
Hoc factum esse asserit, ut, quemadmo-
dum sangvis sensim melior prodiit, ita
ut tandem roseus in conspectum veni-
ret, sic sanitas & rationis usus sensim
redierint. Singulis verò vicibus ad mi-
nimum unciæ quatuor ad summum
unciae sex vel octo sangvinis sunt de-
trahæ, ab initio quidem alternis diebus,
progressu antem temporis bis in septi-
ma-

mana celebrata venæsectione , interjectis vero diebus vinum chalybeatum laxativum cum specificis anti melancholicis adhibuit. Hanc curandi methodum in hoc aliisque nonnullis morbis commodum habere locum & transfusionem sangvinis tanquam certam melancholiæ curam cum fructu posse institui nullus dubito.

Hoc est, quod de præsenti typis mandare casu utile duxi, ut tam Doctioribus ampliorem praxin exercentibus, quam iis, qui medicinam facere incipiunt, darem ansam penitus inquirendi, annon hæc Salivatio Mercurialis in multis aliis chronicis atque rebellibus corporis humani cum fructu sit ad ministranda affectibus? Ego enim haheo pro certo, plurimis eadem succurri posse morbis, eorumque stirpes radicitus evelli, quibus vulgaria non semper sufficient remedia, quam ob rem illam ipsam ulterius instituendi nul lam ero neglecturus occasionem. De o interim soli sit laus, qui tantos Mercurio indidit vires, ut gravissima ma-

ximi hujus, de quo actum est , morbi
causa in totum fuerit sublata, ac Aegra
nostra ab horrendo malo liberata op-
timâ nunc gaudeat & mentis & corpo-
ris sanitatem. Ille conatibus meis alio-
rumque porro benedicat , ut multa
in Dei gloriam Proximique
queant perfici sa-
lutem.

F I N I S.




norbi
Egra
a op-
orpo-
alio-
ulta

153761

X 2404244

VD 17 2.





FarbKarte #13

MELANCHOLIA HYPOCHON- DRIACA

Salivatione Mercuriali Citò, Tutò
ac radicitus Exstirpata

*Quam secundum omnes circumstan-
cias methodumque curandi adhibitam
ulteriori Philiastrorum disqui-
sitione exposata*

JOH. CAROLUS Spies.
Medic. Doct.



WERNIGERODÆ,
Typis, MICHAEL ANTON STRUCK.

R. L. C. Corr. Sec.